Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

x?

102

querit uerbum illud ignotum. Itaque cum audierit atque cognouerit temetum a
ueteribus uinum appellatum. sed iam ex usu loquendi quem nunc habemus hoc uo
cabulum emortuum. propter nullos fortasse ueterum libros sibi necessarium
deputabit. Si autem et illos superuacaneos habet. forte iam nec dignum
quod memorie commendet existimat. quia uidet ad illam speciem doctrine
quam notam mente intuetur atque amat minime pertinere. Quamobrem omnis — Nota petrone.
amor studentis animi hoc est uolentis scire quod nescit non est amor eius
rei quam nescit sed eius quam scit propter quam uult scire quod nescit. Aut si tam — Nota
curiosus est ut non propter aliquam notam causam sed solo amore rapiatur incognita
sciendi. discernendus quidem est ab studiosi nomine iste curiosus. sed nec ipse
amat incognita. immo congruentius dicitur odit incognita quae nulla esse uult + omnia — + dum uult
cognita. Sed ne quisquam nobis difficiliorem referat questionem asserens tam non posse
quemquam odisse quod nescit quam non potest amare quod nescit non resistimus ueris. sed
intelligendum est non hoc idem dici cum dicitur amat scire incognita ac si diceretur
amat incognita. Illud enim fieri potest ut amet quisque scire incognita. ut
autem amet incognita non potest. Non enim frustra ibi positum est scire. quoniam qui
scire amat incognita non ipsa incognita sed ipsum scire amat. quod nisi haberet
cognitum neque se scire quisquam posset fidenter dicere neque nescire. Non solum — Nota
enim qui dicit scio et uerum dicit necesse est ut quid sit scire sciat. sed etiam qui dicit
nescio idque fidenter dicit et uerum dicit et scit uerum se dicere. scit utique
quid sit scire. quia et discernit ab sciente nescientem. Cum ueraciter se intuens
dicit nescio et cum id se scit uerum dicere unde sciret si quid sit scire nesciret.

Quibus causis amari uideantur incognita cum ipsa scientia eorum que nesciuntur
[redacted] quilibet curiosus non amat incognita etiam cum expetitur. .II.
ardentissimo appetitu instat scire quod nescit. Aut enim iam genere notum
habet quod amat idque nosse appetit etiam in aliquo singulo uel in singulis rebus
que illi nondum note forte laudantur. fingitque animo imaginariam formam qua excitetur
in amorem.